

1713

173

15

8

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
IO. HENRICVS
MICHAELIS,

SS. THEOLOGIAE, VT ET GRAECAE AC ORIENTALIVM LINGVARVM P.P.O.

VNA CVM

PROFESSORIBVS RELIQVIS,

AD

NOVAE BENEDICTIONIS
AVSPICIA
EX
PROMISSIONE SPIRITVS S.
AMPLECTENDA

PERAMANTER HORTATVR.



El solius singulari debetur gracie ac immerita prorsus misericordiae, quod novum iam coetum in academia nostra collectum, reliquisque adiunctum ciubis nostris, novo hoc semestri cernimus, qui nouam benedictionem promittit in media confusione, quae ubique fere est. Quibus omnibus, & initiandis digne, & porro confirmandis, Deoque nostro consecrandis in aeternum, sub auspiciis his pentecostalibus commendari hac vice meretur antiqui auctoris Macarii Aegyptii homilia XLIV quam perlegisse nec eos pigebit vel pœnitentia, qui iam plures per annos inter nos profecerint.

§. I. Qui accedit ad Deum, incipit, & Christi adfessor reuera esse desiderat, huius scopi gratia accedere debet, ut conuertatur ipse & transmutetur a priori statu & conuersione, ac bonum & nouum hominem demonstret, qui nihil inferat veteris hominis. Siquis enim, inquit, in Christo, noua creatura. 2 Cor. V, 17. 5. III, 6. 8. 17. 18. Dominus enim noster Iesus Christus propterea aduenit, ut naturam conuerteret, mutaret & renouaret, rursumque conderet animam hanc disiectam propter transgressionem, coniungens eandem cum proprio suo Spiritu divino. Nouam mentem, nouamque animam, & nouos oculos, nouas aures, nouam linguam spiritualem, & ut omnino dicam, nouos homines, credentes ei, ut efficeret, venit, seu nouos utres, vngens eos suo ipsius lumine cognitionis, ut transfundenteret vinum nouum, quod est Spiritus eius. Vinum enim, ait, nouum in utres nouos mittendum. Matth. IX, 17. 38. XII, 18. 28. 33. 49. Es. IV, 3. 4. XLIV, 5. 3.

§. II. Quemadmodum enim hostis, natus hominem sibi subiugatum, sibi eum effecit nouum, vitiis affectionibus cit-

circumvolatum, delinensque eum spiritu peccati, vinum ini-
quitatis omnis ac praece doctrine in eum immisit: scilicet quo-
que Dominus, cum redemisset eum ab hoste, nouum inde
constituit, vngens (eundem) suo ipsius Spiritu, vinum quo-
que vite, nouam Spiritus doctrinam in eum infudit. Ille
enim, qui transmutauit naturam quinque panum in natu-
ram multitudinis, & naturae asini ratione defitit & vocem
dedit, & mereoricem ad sanam mentem conuertit, & ignis
adurendi vi prædicti naturam ad irrorandos eos, qui erant
in camino, idoneam reddidit, & naturam leonum agrestium
ferarum in Danielis gratiam mansuefecit; is valet quoque
animam desertam, & agrestem a peccato effectam, conuer-
tere in suam ipsius bonitatem & benignitatem ac pacem, Spi-
ritu illo promissionis sancto & bono. Luc. XI, 13. 14. 4. 22. sq.
Marc. I, 8. 27. 39. Rom. V, 17. 21. VI, 4. 19. Ezech. XXXVI,
26. 27. 32.

§. III. Perinde enim ac pastor scabiosam ouem posset
curare, & a lupis custodire: eodem modo verus Pastor Christus
veniens solus potuit curare & conuertere perditam & sca-
biosam ouem, hominem, a scabie & lepra peccati. Ezech.
XXXIV, 16. 23. XXXVI, 26. 27. Matth. XI, 3. 5. 28. IIIX, 2.
16. 17. IX, 2. Act. X, 38. 43. 44. Pristini enim sacerdotes & Leui-
za & Doctores non posuerunt sanare animam oblationibus mu-
nerum & sacrificiorum, atque adffersionibus sanguinis, cum
nec seipso posuerint curare; nam & ipsi inualiditate erant cir-
cumdati. Non enim potest, inquit, sanguis taurorum & hircorum
ausferre peccata. Ebr. X, 4. 10. 14. 15. 29. IX, 8. 14. 19. 23. Do-
minus vero dixit, communis trans infirmitatem tum temporis
medicorum: omnino dicetis mihi parabolam hanc, Medice, cu-
ra te ipsum. Pro eo: non sum ego ut illi, qui nec seipso pos-
sunt curare. Luc. IV, 23. 18. 14. 27. 36. 41. V, 12. 20. 31. VII, 21.
22. 23. 35. 39. 48. 49. 50. Ego sum verus Medicus, & bonus Pa-
stor, qui posui animam meam pro ouibus, qui possum curare

omniem morbum & omnem peccatum animæ. Ego sum immaculata ouis, quæ semel oblata est: & qui accedunt ad me, eos possum curare. Vera enim sanatio a Domino solo proficitur. Ecce enim inquit: Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Ioh. I, 29. 7. 9. 16. 17. 33. 36. 45. si. anima nimurum credente ei, & diligente eum ex toto corde.

§. IV. Pastor ergo ille bonus scabiosam ouem curat. Ouis autem ouem curare nequit. Et nisi curata fuerit ouis spiritualis, homo scilicet, in ecclesiam Domini non ingreditur. Ita enim & in lege dictum est per umbram & imaginem. Nam de leproso, aut maculam habente, enigmatis hæc innuit Spiritus: leprosus, inquit, & maculam habens, non ingreditur in ecclesiam Domini. Levit. XXI, 17-24. Verum præcepit leproso, ut abeat ad sacerdotem, & precibus multis adducat eum in domum tabernaculi sui, & imponat manus suas super lepram, locum nimurum notatum tactu lepre, & cures. Eodem quoque modo Christus verus Sacerdos summus futorum bonorum, ad leprosas animas lepra peccati laborantes inclinans, ingreditur tabernaculum corporis illarum, & curat ac sanas affectiones. Atque hoc pacto poterit anima ingredi in cælestem ecclesiam sanctorum veri Israëlis. 1 Cor. VI, 11. 17. 19. Tit. III, 3-6. Act. IX, 13. 17. XV, 8. 9. XXII, 16. Omnis enim anima laborans lepra affectionum peccati, quæ non accesserit ad verum Sacerdotem summum, nec curata nunc fuerit, in castra sanctorum, in cælestem ecclesiam non ingreditur. Immaculata enim cum sit & pura, incontaminata & pura querit animas. Beati enim, inquit, mundi corde, quoniam ipsi DEV M videbunt. Matth. V, 3. 8. 24. 48. Eph. V, 25. 26. 27. 32. 18. IV, 23. 30. Act. II, 37-40.

§. V. Oportet enim animam, quæ vere Christo credit, transferri ac mutari, ab hoc prauo statu in aliud statum bonum, & ab hac humili natura in alteram diuinam Ætate, eamque nouam effici virtute Spiritus S. & hac ratione poterit

rit idonea esse ad celeste regnum. Ioh. III, 3. 5. Consequi autem huc nostrum est, qui credimus, & diligimus illum in veritate, versus amurque in omnibus sanctis mandatis eius. Ioh. V, 4. 5. 6. 18. sq. Si enim tempore Elisei lignum, quod natura leue est, in aquas coniectum, extulit ferrum, quod natura graue est: quanto magis mittet hic Dominus leuem & agilem, bonum & celestem Spiritum suum, per eumque submersam aquis nequitia animam attolleret & eleuabit atque evolare faciet ad sublimia celorum, ac transmutabit & conuertet eam a natura sua? Iac. V, 17-20. Zach. XII, 8. 10. IV, 6. 10. Luc. XI, 1. 4. 13. 31. 32. Ioh. VII, 37. 38. 39. Pf. CXXXIX, 7. 23. 24. LI, 12. 15-19. XXXII, 6. 8. 2. CXLIII, 10. II. Es XI, 2. 3. 9. 15. 16. LVII, 15-19.

§. VI. Et quemadmodum in rebus visibilibus, nemo potest per se transire & traiicere mare, nisi habeat leuem & agilem nauim, ex ligno constructam, quæ sola super aquas incedere potest; demergitur enim & interit, si ambulet quis in mari: eodem modo nequit anima per seipsum transire aut superare aut traiicere acerbum mare peccati, & difficulter abyssum pruarum virium caliginis τὸν παθῶν, nisi Spiritum Christi mitem & celestem agilemque suscepit, qui super nequitiam omnem ambulat & incedit, per quem debito cursu recteque in celestem portum quietis, in ciuitatem regni, poterit peruenire. Quemadmodum autem qui sunt in naui, e mari non hauriunt nec bibunt, nec ex eo indumenta aut victum accipiunt, sed aliunde in nauem important: sic quoque animæ Christianorum non ex hoc seculo, sed supernitus e celo, victum celestem & indumenta spirituata accipiunt: atque inde viuentes, in naui boni & viuifici Spiritus, transuehantur aduersarias principum & potestatum prauas facultates. Et quemadmodum ex unica natura ligni omnes naues construuntur, quarum beneficio homines amarum possunt transmeare mare: sic ex unica diuinitate lucis celestis aduersorum charismatum unius Spiritus, omnes Christianorum animæ corroboratæ uniuersam superuolant nequitiam. Sap. VII, 22. 30. IX, 17. 18. 19. X, 2. 4. 9.

X. 3

§. VII.

§ VII. Verum cum nauis & gubernatore indiget & temperato ac ameno vento ad feliciter navigandum; hec omnia est ipse Dominus in anima fideli degens, & perserre eam faciens molestias tempestates ac feroes malitiae fluctus atque impetus violentorum peccati ventorum; & quidem fortiter, feruenter ac scite, ut ipse nouit, dissoluto eorum estu. Absque celesti enim gubernatore Christo, non potest quispiam traicere malignum mare potestatum caliginis, ac afflatus temptationum amararum. Ascendunt enim, inquit, usque ad caelos, & descendunt usque ad abyssos. Ps. CVII. 20. 26. 29. 43. Marc. IX. 22. 23. 24. 29. Omnem porro gubernandi scientiam, bellorum item ac temptationum nouit, longe supra feroes fluctus incedens. Ipse enim, inquit, tentatus, potest iis, qui tentantur, succurrere. Ebr. II. 18. III. 7. 8. 14. 15. IX. 14. Rom. VIII. 1. II. 15. 16. 26. 27. 37. 38. 39.

§ VIII. Oportet ergo conuerti ac transmutari animas nostras a praesentia statu in alterum statum, & Christum diuinam; & fieri nouos e veteribus, hoc est, bonos, ad usum promptos ac fidèles, ex acerbis & infidelibus; & sic viiles factos in cælesti regnum restitui. B. enim Paulus de conuersione & assumptione sua, qua comprehensus est a Domino, scribit hec: seitor autem, si apprehendam, quatenus & apprehensus sum a CHRISTO. Phil. III. 12. 3. Quo igitur pacto comprehenditur a DEO? Quemadmodum enim si captiuos quosdam, quos rapuerat, tyrannus abducatur, deinceps ipse comprehendatur a vero Rege: ita quoque Paulus, cum a tyrrannico spiritu peccati obsidetur, ecclesiam persequebatur & deuastabat. Verum quod non zelo Dei secundum ignorantiam id ageret, tanquam pro veritate dimicans, non est neglectus, sed apprehendit eum Dominus, cælestis & verus Rex, qui circumfulsat ineffabiliter, voce sua ipsum dignatus, & percussum ut seruum liberauit. Vide Domini bonitatem & conuersionem, quo pacto possit mutare animas malitiae implexas & feroes effectas, atque momento horæ insuam ipsius bonitatem & pacem traducere! Act. IX. 17. 31. XIII. 9. 10. 24. XXVI. 18. 20.

§ IX.

§. IX. Omnia enim apud Deum sunt possibilia; ut in latrone contigit, qui momento bore per fidem conuersus est, & in paradisum translatus. Propterea venit Dominus, ut animas nostras conuerteret atque reformataret Act. III, 26, 19. II, 38, 39. V, 31, 32. Gal. III, 3, 13, 14. ac faceret eas, ut scriptum est, diuinæ confortes naturæ. 2 Petr. I, 4, 21. & conserret in animam nostrum cœlestem animam, hoc est, Spiritum diuinitatis, deducentem nos in omnem virtutem, ut vitam aeternam viuere valeamus. Oportet ergo ex toto corde nos credere inenarrabilibus eius promissionibus, quia verax est, qui promisit. Hinc decet diligere Dominum, atque contendere omnino in omnibus virtutibus, & petere instanter atque assidue, ut consequamur promissionem Spiritus eius integre ac perfecte, quo viuiscerent animæ nostræ, quippe qui adhuc in carne sumus. Rom. VIII, 13, 2, 9, 10, 23. Matth. XXVI, 41. Nisi enim in hoc mundo suscepit anima sanctificationem Spiritus multa fide atque obsecratione, & particeps diuinæ naturæ facta fuerit, coniuncta gratia, per quam omne mandatum inculpate & pure perficere poterit, inepta est ad regnum celorum. Quicquid enim boni quis hinc obtinuerit, hoc ipsum in illa die erit eius vita per Patrem & Filium & Spiritum S. in seculo. Amen!

En homiliam, quam nunc Vobis, o Nostri! deuoto Vobis animo consecratam dedicatamque volumus; adspersis subinde studio nostro dictis Scripturæ ipsius Pentecostalibus! homiliam rorantem sale gratiae, in qua sub verborum simplicitate cum grauitate certat iucunditas, & grauitas cum iucunditate! Miserum est, esse sine Numine, esse sine lumine & regimine Spiritus Dei. Et tamen nascimur omnes cum hoc defectu, propullantibus inde effectibus atrocissimis; saluis aliquo de indiciis diuinis, ex quibus conuinci possumus, quod Deus in eum omnino finem condiderit hominem, ut haberet intimum cum homine commercium. Quo indignos nos reddidimus, ut Deus quidem ipse in nul-

la

8023

la sit defectus huius originælis malorumque subsequen-
tium culpa. Hæremus hinc omnino in reatu coram
sanctitate Dei , si nondum prædicti sumus Spiritu Dei.
Velle autem suum ipsius spiritum sequi , iniquissimum
est & creaturæ lapsæ prorsus inconueniens. Renascen-
tia igitur ex Spiritu S. simpliciter opus est, nec tamen
ad renascendi beneficium pertingere licet sine media-
tore ; quia boni Spiritus præsentiam amissimus absque
culpa Creatoris nostri benignissimi. Si autem non nisi
per mediatorem recipiendus est Spiritus Sanctus, vel
inde constat, quantum oporteat esse mediatorem, in
cuius nomine Pater mittat nobis ducem πατέρα λανθρόν
Vtinam properemus omnes absque ambagibus, & sine
omni mora atque cunctatione, ad verbum, in quo re-
uelatus elucet mediator, tamque dulces de dono Spiriti-
tus sancti promissiones & invitationes amplissime fre-
quentantur! Vtinam nemo respuat amplius tam suave
ac mite gubernaculum ! Intueamur exempla eorum,
qui sibi viuunt, quam male sibi consulant. Nemo no-
strum prolabatur eo, vt similis euadat iis, de quibus
iam olim dixit Iehouah: *non arguet Spiritus meus homi-*
nem in perpetuum. Gen. VI, 3. 11. 12. Iudæ v. 14-19. 20.

Luc. XVII, 26. 27. sq. P. P. ad valvas

academicas F. Pentec.

M. DCC. XIII.

HALAE MAGDEBURGICÆ,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

L-S

ULB Halle

002 051 028

3





1713 143
PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
IO. HENRICVS
MICHAELIS,
SS. THEOLOGIAE, VT ET GRAECAE AC ORIEN-
TALIVM LINGVARVM P. P. O.
VNA CVM
PROFESSORIBVS RELIQVIS,
AD
NOVAE BENEDICTIONIS
AVSPICIA
EX
PROMISSIONE SPIRITVS S.
AMPLECTENDA
PERAMANTER HORTATVR.